

1574 Creta alias emitterent, jussere : nova militum supplementa ne in orientem mitterentur, latum : Jacobus Superantius, classis imperator, ab itinere supersedere jussus : cumque jam pedites e Genuensium ditionibus selecti in Siciliam pervenissent, Pannormique constitissent, ubi Raphael Justinianus praefectus fato concesserat, Placido Ragazzonio, qui procurandae annonae causa adhuc in Sicilia morabatur, Senatus praecipit, ut, persoluto stipendio, praefectos, ac milites tuto Genuam remitteret. Imminuta quoque, prout temporum conditio, ac ingentes a Republica hactenus facti sumptus exposcere videbantur, atque ad certum numerum in Creta, Corcyra, atque Illyrico redacta, arcium atque oppidorum praesidia : Balthasari Rangonio Corcyrae militiae praefectura tributa ; Sfortiae Pallavicino, qui adversa valetudine correptus in Cretam proficisci non poterat, Paulus Ursinus eadem cum auctoritate suffectus : in Illyrico Moretus Calaber, qui singulari virtute ac fide difficillimis temporibus Reipublicae inserviverat, militibus praerat.

Paulus Ursinus in Creta, Moretus Calaber in Illyrico summi militum praefecti.

Joannes Austriacus ab Hispanis Mediolanum missus.

Dum haec geruntur, in Insubris ab Hispanis copiae cogebantur ; arma militaresque apparatus summo studio curabantur ; qua ex re multorum animos suspicio inceperat, ne Philippus, ob pacem cum Selymo ictam, Venetis (licet secus ostentasset) infensus, in Rempublicam aliquid moliretur : nam Joannes Austriacus ex Hispania Genuam delatus, Mediolanum se contulerat ; crebra atque occulta colloquia cum Alexandro Farnesio, Parmae Principe, ferebat ; ac momento fere externo milite Insubrum ditiones refertae, tormenta instructa, multa ad bellum comparata fuerant : tironum Hispanorum mille in Italiam venerant, qui (ut gentis mos est) a rure aratroque nudi fere ad militaria rudimenta vocati, indeque egeni appellati, brevi temporis tractu duris militiae laboribus assuescunt. Senatus cum primum Mediolanum Austriacum pervenisse cognovisset, Aloysio Contareno, Veronae praefecto, statim eo se conferre, felicemque ac faustum illi adventum gratulari jussit ; ac ne ulla in re publicae securitati defuisse videretur, in iis enim, quae ad tuendum imperium pertinent, cura ac sollicitudo supervacanea numquam videri potest, cum Bergomatibus, qui finitimi Mediolanensibus sunt, verendum praecipue esset, Sfortia Pallavicinus Bergomum a Se-

Aloysius Contareno ad Austriacum orator. Veneri de finibus solliciti Pallavicini Bergomatibus.